

EPITHALAMIA
In Solennitatem Nuptiarum

Reverendi, Clarissimi atq; Doctissimi
V I R I

DN. S A M U E L I S

Schönwald

Connubio sibi jungentis Lectissimam, suiq;
sexus Virtutibus Ornatissimam VIRGINEM

CHRISTINAM,

Nobilissimi, Amplissimi atq; Consultissimi
V I R I

DN. JACOBI COLLERI,

Consulis & Quæstoris THORUN.

Filiam Dilectissimam,

A. O. R. 1689. d. 15. Febr.

Ab Amicis & nonnullis Docen-

tibus in G Y M N A S I O

Fausti Omnis ergo

Scripta.

THORUNII imprimebat CHRISTIANUS BEKK.



docta Professoris Subsellia nuper habebas,
Sponse, Juventuti dogmata vera ferens.
 Deinde *Mansterii* scandisti pulpita sacra,
 Doctrinam puram cum pietate docens.
 Nunc tibi pulchra datur divino munere, *Sponsa*,
 Virtutum multæ quam comitantur opes.

O te felicem! Felices atq; Parentes,
 Hac qui Te cernunt prosperitate frui.
 Gratulor ergo Tibi, charisq; Parentibus unâ
 Gratulor, & vobis omnia fausta precor.
 Vivite Concordes, felices vivite, Sponsi,
 Vos regat incolumes ter Veneranda TRIAS!

P. Hofmann / D.

ECLOGA VIRGILIANA

ex Cognomine Dn. Sponsi.

Sponsus.

*S*ponsa veni dilecta, thymo mihi dulcior Hyblæ,
 Candidior cygnis, hederâ formosior albâ,
 Sponsa, veni in pulchram, Virgo pulcherrima, Silvam.
 Sponsa.

Adlum, *Sponse*, libens. Habitârunt Dii quoq; Silvas,
 Dardaniusq; Paris. Pallas, quas condidit arces,
 Ipsa colat: nobis placeant ante omnia Silvæ.

Sponsus.

Jupiter ipse colit Silvas, Gryneus Apollo,
 Faunus, & Agresti capitis Silvanus honore.

Exer-

Exercet Diana choros, Dryadesq; puella
In Silvis, Nymphis respondent omnia Silvæ.

Sponsa.

Certum est in Silvis, inter spelæa ferarum,
Malle pati, tenerisq; meos incidere amores
Arboribus, crescent illæ, crescetis amores.

Sponsus.

Mecum unâ in Silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit: Pan curat Oves Oviumq; Magistros.

Sponsa.

Huc ades, o formose puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis, tibi candida Virgo
Narcissum & florem jungit bene olentis anethi.

Sponsus.

O tantum libeat mecum tibi parvula rura,
Atq; humiles habitare casas, & degere Silvis,
Hædorumq; gregem viridi compellere hibisco!

Sponsa.

Cur fugiam Silvas? Silvæ sunt Virgine dignæ.
Nunc frondent Silvæ, nunc omnis parturit arbor,
Nunc viret omnis ager, nunc formosissimus annus.

Sponsus.

Quid? frondent Silvæ? nunc formosissimus annus?
Nonne vides Boream potius regnare nivesq;
Montibus in nostris? Ah, ne te frigora ledant!

Sponsa.

Tu mea Silva vires, Tu formosissimus annus,
Tu Desiderium cordis, Dulcedo, Levamen,

Es

Es mihi, Silvarum pulcherrima gloria, Sponse.
Hic focus, & tædæ pingves, hic plurimus ignis:
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Sponsus.

Ergo alacres Silvas, & cætera rura voluptas,
Panæq; Pastoresq; tenet, Dryadasq; puellas.
Ipsi lætitiâ voces ad sidera jactant
Intonsi montes, ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: DEUS, DEUS ista gubernat
Fœdera Conjugii, DEUS istos copulat ignes!

Amicus.

A pulchra qui nomen habes, pulcherrime, Silva,
Sponse, Decus Patriæ, cælestis Pastor Oculis,
Has Tibi Delicias, DEUS, hæc & gaudia fecit.
Ille Tibi Sponsam, præstanti corpore nympham,
Connubio junxit stabili, propriamq; dicavit.
Vivite felices ergo, Vestriq; Parentes
Incolumes vivant, seros in Nestoris annos.
Ex casto pulchræ Silvæ nascantur amore
Arborci foetus, divinæ in laudis honorem!

Gratulus. apposuit

Wenceslaus Iohannides, Gymn. Thor. P. P.

Ad Reverendum DN. SPONSUM,
nuper Germanæ Sororis funus desinentem,
hodie Neonymphum.

Parod. in Od. IV. lib. I. Horat.

Solvitur ergo dolor, grata vice gaudii recentis,
Trahitq; lætos alma lux amores.

At

At neq; jam lacrymis vultus madet, aut ocellus unda,
Nec ora strictis fletibus rigescunt.
Jam *Thoruna* choros ducit *Venus*, accinente cætu,
Junctiq; Nymphis Pamphili decentes
Alternò terram quatunt pede, dum frequente plectro
Apollo chordas vellicat sonantes.
Te decet aut *Sponsæ* nitidum latus impedire plexu,
Aut ore pectus basiare casto.
Nunc & inumbrosos illam decet evocare lectos,
Seu foedus optet, sive malit arma.
Cypria lex æquo tenet ordine Clerici cubile,
Thorumq; vulgi. Sed beate *Schönewald*/
Noctis summa brevis spem Te vetat inchoare longam,
Jam te premet lux, splendidumq; mane.
Nunc domus expectat te plumea, quo simul mearis,
Responsa charæ sortiè Sponsæ.
Tu tenerum corpus rimabere, dum calet *Juventus*
Tibi omnis, & mox Sponsa mox calebit.

f.

M. Johannes Sartorius, P.P.

Sponsus eras, quando Baptismi flumine tinctus
vovisti Christo vota fidemq; tuo.
Sponsus eras, nostri Tibi cum sociata *Juventus*
Gymnasii fuerat tres quatuorq;ve dies.
Sponsus es, & sacri jam factus Pastor *Ovilis*,
quod regis auxilio consilioq; pio.
Sponsus es, atq; tuo thalamo lectissima *Virgo*
jungitur, e claro Consulis orta toro.
Hæc Te constituat charum faciatq; maritum,
te dicat Patrem filia, neptis Avum.

Ita ex animo vovet

M. Martinus Böhlm / P.P.

PALLAS FATIDICA

Cum Lucina vigil Te primùm redderet urbi,
Bellatrix arsi Pallas amore tui.
Mens erecta Tibi puero, spectabile corpus,
Ingenius vultus, fronsq; serena fuit.
Huic, dixi, pandam Doctrinæ amplissima regna,
Castalio lymphas fonte fluente dabo.
Prægnantem reddam lingvis hunc, ille loquetur
Ore Quirine tuo, maxime Teuto tuo.
Hebrææ gentis linguam, moresq; vetustos
Callebit, quicquid jura Tonantis habent.
Dum loquitur Græcè ac Oscè pariterq; Latine
Ennius, exclamat: prò tria corda gero.
Schönwald iste meus perdiscens plurima, lingvas
Tres summas uno pectore, corde geret,
Per varios Ludos, terras, urbesq; vehetur,
Doctrinæ justas ut sibi cogat opes.
A docto totus pendebit & ore Magistrum:
Artes, ut Jason vellera rapta feret.
Ingenium cultum merito decorabit honore,
Patria magnorum magna Thoruna virum.
In patrio Ludo leges & jura docebit
Lingvæ, quæ sancto fluxit ab ore Dei.
Dogmata cœlestis largè purissima vitæ,
Germano populo cum pietate dabit.
Numinis offensi quò sit mansuetior ira,
Nec tangat fontes pœna severa DEI.

Dotata & virgo, Collieri Patris alumna,
Illi adjungetur foedere Conjugii.
O benè! cui Divi tribuunt cum virgine dotem!
Hac sine quid mulier? Ius sine carne macrum.
Hac si defuerit, pietas pro dotibus esto;
Horrida nam cupidis Styx adeunda venit.
Illa suo caro sat fida futura marito,
Ante torum linum lanaq; † mollis erit.
Lumen ad exiguum Dominæ mandata secutæ
Ancillæ trepidæ pensa diurna trahent.
Surget amans, animamq; tenens geniale cubile
Accedet, labro basia grata ferens.
Hæc sobolem linguaq; simul salibusq; procacem
Deponet gremio, docte Marite, tuo.
Semina nam semper sulci cum fœnore reddunt:
Exhilarat mulier prole recente virum.
Ad propiora vocor: Sociales impleat annos
Hoc par, quot baccas Pallados arbor habet.
Sponse, tuæ Sponsæ des quod tuus hortus habebit:
Sponsa dabit quæcunq; illius hortus habet.

† *Principalium fœminarum studium Ovid. 2, Fast, Vives. 1. 2.
de Christ. Fœm, c. 3.*

Autore & Precatore

Joh. Rezik, Prof. Extr.

Costâ manere CHRISTIANUM liberum,
Injurias ob seculi

*1. Cor. VII. 40.
Præ-*

Præstare Doct̃or. Gentium fideliter,
 Corinthios suos docet.
 Cur ergo Christi nunc minister impiger,
 Pauli sciens Epistolas
 Moli malorum sponte colla subjicis,
 Dum amabilem viraginem,
 Profapiã, virtute, formã splendidam,
 Dignam parente Consule,
 Casto thoro favente jungis Hespero
 Lætusq; cædas præparas?
 Id est: Hero, tu serve, mavis obsequi;
 Non esse qvi dicit bonum
 A se creatum hominem esse solum perpetim
 Et cunãta corrigit mala.
 Justissime autem. Nos amici plaudimus;
 Lætusq; votum pangimus:
 Vale, vige, charissimo cum pectore!
 Lætos dies, noctes age!
 Protru dat iste quem parasti lectulus,
 Multos bonos, bonas, bonã!

Gen. 11, 18.

Ita voves

Christophorus Cretlovius,
 S. N. C. R.

